



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. XI. Vtrùm detur ignorantia inuincibilis rerum fidei, & an eas
ignorantes possint absolui in confeßione?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

contrariam, et si possit sepe esse aliqua negligentia in fidei mysterijs addiscendis, tamen vix vniquam contingere ut peccent non credendo res fidei sufficienter sibi propositas; quia respectu huius assensus nullam habent repugnantiam, aut aliquid quod possit eos ab eo retardare; ideoque sibi sufficienter propositis statim assentiuntur, aut ita se habent ut saltem bona fide putent se ijs sufficienter assentiri: et si sepe initio, praesertim in pueris, sit solâ fides humana.

214.
Regula II.
Tenetur elicere actum fidei ut vincamus tentationem contrariam.

Regula secunda. Tenetur quis quandoque elicere actum fidei, quando grauem contra fidem patitur tentationem, quam putat se aliter non posse superare. Per se patet, quia sicut tenetur cauere peccatum contra fidem, ita ad hoc tenetur adhibere tale medium, quod putat hic & nunc esse necessarium. Sed quamuis sepe patientibus eiusmodi tentationes sit valde vtile elicere firmum actum fidei, tamen raro à parte rei id est omnino necessarium, cum diuertendo aliò cogitatione possint eam tentationem superare, & quandoque facilius: ex erronea tamen conscientia qua putant esse necessarium elicere actum fidei, quandoque aliqui possint ad hoc obligari. Bene tamen notat Sanchius supra hanc regulam non conuenire scrupulosi, qui sepe apprehendunt se pati dubitationes in fide, atque etiam ijs consentire; & quo magis ijs conatur resistere, eo magis vexantur. quibus omnino suadendum est, ut credant falsas esse imaginationes, easque tamquam somnia contemnât, nam nullus est alius modus eos liberandi.

Sanchius.

Quid scrupulosi suadendum.

215.
Regula III.

Tertio, tenetur quis per accidens elicere actum fidei quando credit id esse necessarium ut vincat aliquam tentationem contra aliam virtutem. estque eadem ratio quæ in casu precedenti: nisi quod hic difficilius possit contingere, ut verè à parte rei & seclusa falsa imaginatione sit vera necessitas. Notatque bene Sanchius tunc omittentem actum fidei, solum peccatum contra virtutem, contra quam peccandi periculo per illam omissionem aut verè aut saltem secundum suam opinionem exponitur.

216.

Regula IV.

Qui tenetur conteri, tenetur elicere actum fidei.

Quarto, tenetur peccator elicere actum fidei quando tenetur conteri, quia hoc sine fide, qua actu credat Deum paratum esse sibi remittere peccata, fieri non potest, saltem communiter & secundum ordinaria Dei auxilia: nisi enim quis speret à Deo veniam peccatorum, non mouetur ad efficacem eorum detestationem; ad eiusmodi autem spem non excitatur nisi per fidem. unde Trident. sess. 6. c. 6. inter dispositiones ad remissionem peccatorum necessarias requirit actum fidei & spei. Quidam tamen putant sufficere actum fidei virtualem: sed minus bene, nam, ut bene notauit Suarez in 3. p. tom. 3. disp. 28. sect. 2. §. Dices quamuis. et si possit dari vnus actus fidei qui virtualiter siue implicite contineat alium; nullus tamen in hac vita datur actus à fide distinctus, qui actum fidei virtualiter contineat, cum hic sit primus actus supernaturalis.

Trident.

Suarez.

Nullus hic datur actus à fide distinctus, qui hanc virtutem contineat.

217.

Regula.

Quinto, tenetur quis per accidens elicere actum fidei, quoties obligatur exercere aliquem alium actum, quem sine actuali fide debere exer-

cere nequit, ut cum tenemur aut etiâ sponte volumus communicare, aut aliud Sacramentum suscipere: tenemur enim tunc velle illud dignè suscipere, & consequenter credere esse verum Sacramentum, & praesertim in susceptione Venerabilis Sacramenti tenemur credere Christum in eo esse praesentem. Item quando tenemur coram tyranno fidem confiteri, quia nisi actu credamus fidem nostram esse veram, vix eam constanter poterimus profiteri.

Sexto, aliqui aiunt, nos teneri elicere actum fidei in hora mortis, & aliquoties per vitam. Alij autem negant id esse necessarium, nisi occurrente aliqua alia necessitate ex causis iam narratis. Sed quamuis hæc speculatiue possent in vtramque partem disputari, quoad praxim tamen nequit esse difficultas: nam ratione actuum spei ac caritatis, aliorumque quos tam instante morte quam sepe alijs per vitam tenemur elicere, constat nos sepius teneri elicere actus fidei, quibus præcepto eos eliciendi, si quod sit, satisfacimus.

D V B I V M XI.

Utrum detur ignorantia inuincibilis rerum fidei, & an eas ignorantes possint absolui in confessione.

Triplex hic est difficultas. Prima, an in infidelibus aut nutritis inter infideles possit esse inuincibilis ignorantia rerum fidei? Secunda, vtrum eiusmodi ignorantia possit reperiri in ijs, qui inter fideles nutriti sunt? Tertia, quæ ratione confessarius se debeat gerere cum ijs, qui res fidei vincibiliter aut inuincibiliter ignorant? Non agimus autem hic de ignorantia vnius Dei & similibus, quæ lumine naturæ maxime nota sunt (de quibus agam disp. 18.) sed solum in genere quaerimus an aliqui possint inuincibiliter ignorare aliquas res fidei, ad salutem scitu necessarias.

Circa duas priores difficultates quidam absolute docent, nec in fidelibus, nec in infidelibus posse dari ignorantiam inuincibilem earum rerum, quarum cognitio est ad salutem necessaria. Ita Bonauent. in 3. d. 25. ar. 1. q. 2. ad ult. & q. Bonauent. 3. ad penult. Adrian. quodlib. 2. qu. 1. sine argumentis, ad secundum.

Probatur Primò, quia, cum Deus omni facienti quod in se est, det gratiam; omnes, si velint facere quod in se est, possunt habere gratiam ad fidem necessariam & consequenter ipsam fidem: ergo in nullo potest esse ignorantia inuincibilis rerum fidei scitu necessarium.

Secundò, quia alijs sequeretur, alicui salutem esse impossibilem.

Tertio, ponamus aliquem adultum infidelem cum tali ignorantia mori, antequam peccarit materialiter; nullus ei locus assignari poterit. Quia nec limbus puerorum, nam hic locus non est pro adultis: neque infernus, quia non meretur pœnam scilicet.

Quarto, quia Apostolus ad Roman. 10. inf. Rom. 10. nuntiat, mysteria nostræ fidei scitu necessaria omnibus sufficienter esse annunciata, ut possint ea credere

218
Regula VI.

Triplex difficultas.

219

Bonauent.

Adrian.

Rom. 10.

credere si velint: ait enim, Sed numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiit sonus eorum. & in fines orbis terra verba eorum.

Quintò, quia omnes ignorantes res fidei à Deo puniuntur: ergo in eo peccant. Antecedens probatur: quia psal. 78. dicitur: Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt. & 2. ad Thesal. 1. v. 8. dicuntur puniendi in die iudicii qui non nouerunt Deum. & 1. ad Cor. 14. dicitur: Si quis autem ignorat, ignorabitur. Et Luc. 12. dicitur quòd seruus qui non cognouit voluntatem domini sui, vapulabit paucis.

Alij tenent, saltem inter fideles non posse esse inuincibilem ignorantiam rerum fidei, quas omnes tenentur explicite credere. Ita Gabr. in 3. dist. 25. ar. 2. post 5. concl. Durand. ibid. q. 1.

Probatur, quia versantes inter fideles res illas facillime ex concionatoribus, qui satis frequentes apud fideles sunt, possunt discere; aut ex ipsis festis quæ vident in Ecclesia celebrari, cognoscere, & habent vbique ad manum quos possunt consulere.

Sed communior & verior sententia est, in vtrisque posse dari ignorantiam inuincibilem. Ita Valqu. 1. 2. disp. 1. c. 2. Navarr. in Manuali c. 11. n. 22. Azor tom. 1. Moral. c. 6. q. 6. Sairus in clauis regia 1. 2. c. 9. n. 15. Sanchez in Præcepta 1. 2. c. 3. n. 20. Pesantius 2. 2. q. 10. art. 1. disp. 2. vbi, etsi agat propriè de infidelibus, eius tamen rationes de vtrisque probant. Probatur, quia Iohan. 15. dicitur: Si non venissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent (scilicet infidelitatis) nunc autem excusationem non habet de peccato suo. Vbi Christus aperte insinuat, Iudæos non fuisse peccaturos non credendo in Christum, si ijs non fuisset annūciatus. vt docet D. August. tract. 89. in Iohannem explicans hunc locū. vbi etiam expresse docet, eos, qui nihil vnquam de fide audierunt, non peccare non credendo, & in hoc habere iustam excusationem: atqui multi sunt in extrema barbarie, qui nihil vnquam de fide audierunt, & similiter sunt quandoque quidam rustici inter Christianos, qui de quibuldam fidei articulis, quos omnes tenentur explicite scire, nihil vnquam audierunt, nec ijs venit vnquam suspicio in mentem fortè tales aliquos articulos esse sibi credendos: ergo sine culpa eos ignorant. Confirm. quia contrarium videtur aperte damnatum à duobus Pontificibus, qui hanc propositionem (quæ est 64.) damnarunt: Infidelitas pure negatiua in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

Pro horum autem maiore intelligētia Nota Primò, aliud esse me teneri aliquid facere; aliud, verò me culpabiliter peccare illud omittendo. v. c. omnes Catholici non legitimè impediti, tenentur diebus festis audire Sacrum, & tamē inuincibiliter ignorans iam esse diem festum, id non audiendo excusatur à culpa. vide dicta disp. 3. n. 47.

Nota Secundò, vt aliquid mihi imputetur ad culpā, id debere mihi aliquo modo esse voluntarium, non solum secundum suā rationē physicā, sed etiam quatenus habet rationem malitiæ: vt communiter omnes fatentur, & omnino certum est; quia nemo potest peccare saltem culpabiliter, nisi aliquo modo voluntariè, vt sapius S. Coninck de act. supernat.

August. & ex eo communiter Theologi docēt. August.

Item nihil posse esse voluntarium, nisi sit aliquo modo cognitum: vt docet D. Thom. 1. 2. q. 6. a. 3. & cum eo communiter Theologi. Hinc et si Iacob quādo primò cognouit Liam, sciuerit se cognoscere aliquam feminam, ideoque hic actus vt sic fuerit ei voluntarius; quia tamen nullo modo sciebat se cognoscere non suam, seque committere adulterium sibi illicitum, hic actus quā talis ei nullo modo erat voluntarius, & consequenter nec culpabilis.

Nota Tertiò, vt carentia alicuius rei dicatur mihi voluntaria, non sufficere quòd hoc vel illud faciendo potuerim illā acquirere; sed necesse esse me aliquo modo sciuisse hoc vel illud facere esse medium idoneum ad illā rem acquirēdam. Quare posito quòd hoc omnino ignorem, etsi illud voluntariè atque etiam cum peccato omittam, nihilominus carentia illius rei non erit mihi voluntaria & culpabilis, v. c. aliquis oblatum iniuste alteri damnum ei sit obligatus aliquot aureos restituere, & non habeat unde restituat; hic tenetur quantum sine notabili incommodo potest, querere media quibus illos aureos restituat. Ponamus autem illum die festo culpabiliter omisisse Sacrum, quod si audiuisset, fuisset ei oblata occasio, facile & iuste lucraturum pecuniā, quātum obligatus restituere. Tali casu ille peccabit quidem contra præceptum Ecclesiæ non adeundo templum; & consequenter omittendo illud medium consequendi pecuniā sibi necessariā materialiter sumptum, siue omittendo accessum ad templum, quicquid medium consequendi eam pecuniā, quia tamen penitus ignorauit hoc esse tale medium, nec hoc vlla ratione potuit suspicari; non peccabit culpabiliter omittendo illud medium formaliter sumptum, siue quatenus præcisè erat medium consequendi pecuniā: nec ob illius omissionem carentia pecuniæ potest ei villo modo dici voluntaria. Et simile etiam est in exemplo Iacobi, cui ad vitandum illud adulteriū erat necessarium nosse illam personam, quam parabat cognoscere; & potuisset absolute eam cognitionem habere si diligentius in eam inquireret; sed quia nullo modo veniebat ei in mentem hic posse subesse fraudem, aut periculum cognoscendi non suam, illa ignorantia erat ei absolute inuincibilis & inculpabilis.

Ex his probatur concl. 2. quia plurimi Gentiles, v. c. olimnati in Iaponia & America, numquam audierunt quidquā de mysteriis nostræ fidei; nec vnquam venit illis in mentem eiusmodi fidem esse, aut esse posse: imò plurimi inter illos simplices, numquam villo modo suspicari sunt esse vllam aliam veram fidē præter suā. quare quamuis absolute cum gratia Dei quantum poterant bene viuendo potuissent ad cognitionem veritatis diuino auxilio peruenire; tamen nullo modo potuerunt vnquam suspicari hoc ad illud esse medium necessarium; atque ita hæc ignorantia fuit illis omnino inuincibilis.

Similiter multi rustici statim atque incipiunt ratione vti, applicantur pascendis pecoribus, & raro permittuntur templū adire, & rarissime mittuntur ad conciones; atque ita nec

aa

in

psal. 78.
2. Thess. 1.

1. Cor. 14.
Luc. 12.

220

Gabriel.
Durand.

221
Datur in-
auincibilis
ignorantia
rerum fidei.
Valquez.
Navarr.
Azor.
Sairus.
Sanchez.
Pesantius.
Iohan. 15.

August.

222
Aliud est me
non teneri
aliquid fa-
cere; aliud
me excusari
à culpa id
omittendo.

223

224

Quid requi-
ratur vt rei
alicuius ca-
rentia mihi
sit voluntaria.

225

226

in templo quidquid de rebus fidei audiunt, nec domi ab heris aut parentibus in rebus fidei instruuntur; ideoque etiam nullam suspensionem habent aliquid sibi circa fidei mysteria necessarium discendum esse. Quamuis igitur hi interrogando aliquando suos Parochos aut alios in fide instructos, aut faciendo quandoque maiorem diligentiam ut possent conciones aut catechismos audire, possent sufficienter in fide instrui; quia tamen omnino ignorant, hoc ad illum finem esse necessarium, nequeunt ex huius desiderio ad illud faciendum excitari: atque ita hæc ignorantia manet illis inuoluntaria siue inuincibilis.

227 Ad primum argumentum contrarium positum n. 219. nego consequi. quia plurimi penitus ignorant cuiusmodi medium adhuc finem esse necessarium.

Ad secundum, nego assumptum; quia hoc solum sequeretur, si faciendo quod in se est ut bene uiuerent, ac omnia peccata vitarent, non possent veritatem assequi.

Ad tertium, Respondeo posito illo casu, siue sit possibilis, siue non, talem iterum ad limbum puerorum. Nec refert quid hic locus dicitur solis pueris deputatus; quia hoc fit eod quod communiter supponatur nullum adultum de facto cum solo peccato originali è vita discedere, quia communiter omnes docent, neminem sine gratia habituali posse notabili aliquo tempore omnem legem naturæ seruare. Quod si forte contingeret aliquem statim post adeptum usum rationis, antequam grauius peccaret, mori, inter pueros computandus esset: præsertim cum diuersitas illa locorum non tam respiciat diuersitatem ætatis quam culpæ.

228 Vasquez. Ad quartum, respondet Vasquez 1.2. q. 121. c. 3. Apostolum ibi loqui de annunciatione per celos facta, quatenus ex eorum mirabili structura, continua circumuolutione & siderum ornatu homines possunt naturaliter Deum, eiusque potentiam ac providentiam cognoscere, atque ita hac cognitione cum gratia Dei bene utendo ad fidei cognitionem paulatim venire. Quæ expositio probari potest, quia psal. 18. quæ Apostolus ibi citat, in eo sensu loquitur; & hoc modo expositus locus Apostoli solum probat nulli adultum denegari gratiam, quæ absolute possit sensum ad fidem pertinere. Quod si quis velit Apostolum illum psalmum mysticè intelligere & citare pro annunciatione Euangelij per Apostolos aliosque viros Apostolicos facta; dicendum est Apostolum solum loqui de orbe Romano imperio subiecto, aut saltem communiter cognito, in cuius præcipuis partibus tunc Euangelium annuntiandum fuerat; aut etiam prophetice prædicere futurum ut in toto orbe fides aliquando annuntiaretur. Inde tamen nullo modo sequitur, singulos sufficienter Euangelij annuntiationem audisse: quia, ut iam ostendi, etiā in locis ubi Euangelium prædicatur, possunt aliqui eius doctrinam maxima ex parte inuincibiliter ignorare; quanto magis id potuit olim fieri in locis ubi Euangelium numquam fuerat annuntiandum.

Ad quintum, Respondeo omnibus illis locis agi de iis qui laborant ignorantia vincibili: nam in

duobus prioribus agitur de iis, qui derelicto cultu veri Dei colunt idola, aliosque grauibz peccatis contra naturam se scienter immergunt innocentem persequendo; ut patet in loco ex epistola ad Thessal. In 3. loco ex epistola ad Cor. Apostolus agit contra eos, qui ipsius mandata non obseruabant, simulantes se ea ignorare; aut nolentes credere se iis obligari; ut patet ex versu præcedente, scilicet 37. ubi ijs inculcat ut diligenter attendant ijs quæ ipsi præscribit, & cogitent esse mandata non hominis, sed Dei. Ad locum S. Lucæ, Respondeo ibi non simpliciter eum vapulaturum, qui ignorat voluntatem domini sui, sed additur, & digna plagis fecerit. agitur de eo, qui sciebat aliquo modo se male agere, aut saltem id facile scire poterat: etsi forte non crederet, id ita domino displiciturum.

Hinc patet Primum, ut alicui hæc ignorantia sit culpabilis, debuisse eialiquando venisse in mentem, saltem in confuso, siue in genere, talem aliquam cognitionem sibi ad salutem esse necessariam, aut se teneri ut eam acquirat diligenter Deum orare, eiisque seruire, ac peccata fugere, vel templum adire, aut conciones aut catechismos audire, &c. aut ut volentes eum docere, aut iubentes ut discendi causa templum adeat, audire noluerit. Alias sicut nullius obligationis potest habere cognitionem; ita eius violatio nequit ei esse voluntaria.

Patet Secundum, inter rusticos sæpius pariter aut heros esse magis accusandos, qui non curant ut filij aut iuniores famuli seitu necessaria discant, quam ipsos adolescentes hæc ignorantes; quia sepe magis est illorum culpa, quam horum. Imò præter utrisque quandoque accusandi sunt Pastores, aut similes quorum est illos instruere, qui pro concionibus sæpius nescio quas materias suis minus accommodatas explicant, & doctrinam necessariam omittunt, nec sufficienter paratibus & heris exponunt, quantum obligetur curare ut eorum domestici in fide bene instruantur. Quæ si sæpe ijs pro concione bene explicarentur ac inculcarentur, minor hac in re esset defectus.

Patet Tertiū, eos qui inter infideles enutriti ignorant necessaria ad salutem, statim atque audierunt aliquid de mysterijs nostræ fidei, ita siue cum ijs circumstantiis ac rationibus ut merito possint suspicari ea forte esse vera; aut quando occurrit ratio cur merito dubitent an sua religio sit vera; teneri serio adhibere diligentiam ut cognoscant veritatem, adhibendo ea media quæ ad hoc credunt esse necessaria. Atque adeo si illa suspicio sit vehemens, siue si adsit gravis valde causa dicta suspicandi, tenentur ad illam diligentiam adhibendam etiam cum periculo vitæ. Probatur, quia cum agatur in re grauissima de honore Dei, & æterna salute perdenda vel acquirenda, tenentur his alia omnia postponere. Si enim teneat exponere vitam periculo pro salute alterius, qui aliter nequit saluari, quanto magis id teneat facere pro mea salute.

Patet Quartū, omnes Turcas, Iudæos ac hæreticos, prudentiores laborare iam communiter ignorantia vincibili: quia si diligenter huic rei intendant, habent sufficientes rationes de sua religione dubitandi. Ideoque ipsi etiam cum

Cuius limbus dicatur solis pueris deputatus.

219 Quid requiratur ut ignorantia sit culpabilis.

Obligati infideles res fidei ignorantes docere præ his culpandi sunt.

230 Ad quid obligentur infideles.

Prudentiores omnes Iudæi, Turcæ & hæretici laborant ignorantia vincibili.

cum periculo vitæ tenentur veritatem serid inquirere.

231
Obligatio
confessarii
circa igno-
rantes.
Sanchius.

Circa tertiam difficultatem qua ratione sci-
licet debeat confessarius se cum ijs qui dicta
ignorant gerere; Respondent quidam apud
Sanchium l. 2. de Præcept. c. 3. nu. 21. eum, quā-
do quid simile suspicatur teneri pœnitentem
in rebus fidei examinare; quia quoties confes-
sarius deprehendit pœnitentem per se non in-
tegrè confiteri, debet illum examinare circa
peccata, quæ putat eum omittere. Adduntque
eum deprehensum in tali ignorantia non debe-
re absolui, quia est in peccato mortali. Sed
melius ibidem Sanchius secutus Azor tomo 1.
Moral. c. 8. q. vlt. docet, talibus non esse negan-
dam absolutionem; quia sæpè fieri potest eos
eiusque laborasse ignorantia inuincibili; aut
si culpabili laborant admonendi sunt vt de
hac culpa, sicut de alijs doceant, & proponant
in posterum debitam diligentiā adhibere vt ea
discant, atque ita absoluedos esse. Quod si sæ-
pius moniti in eadem negligentia persistenter,
tunc agendum cum ijs sicut cum illis qui sæpius
in eadem peccata labuntur.

232

Addit confessarium optimè factum tunc
ante absolutionem eos ignorantes instruendo
in præcipuis fidei mysterijs. scilicet docendo
eos tantum esse vnum Deum, & tamen Patrem
esse verè Deum, Filium esse verè Deum, Spi-
ritum sanctum esse verè Deum, nec tamen esse
plures Deos. Item Filium pro nobis factum ho-
minem, mortuum, ac resurrexisse, ad cælos ascen-
disse, & tandem venturum ad iudicium vt red-
dat præmia iustis, scilicet vitam æternam, & ma-
lis æterna supplicia. Item cum esse verè præsen-
tem in Venerabili Sacramento, & quomodo o-
porreat confiteri ac communicare. Circa præ-
cepta verò decalogi docet, non esse communi-
ter laborandum; quia vix sunt qui nesciant non
esse furandum, fornicandum, peierandum, &c.
Excipe casum quo confessarius deprehenderet
pœnitentem ex his aliqua ignorare: quod in de-
siderijs impudicis, & iocosis mendacis iura-
mento affirmatis facilè contingit, quæ multi
nesciunt esse peccata mortalia.

233

Quod consilium sine dubio optimum est
quando confessario integrum est ei instructioni
vacare; sed quia sæpè aliorum confessionibus
impedito non est ita integrum vni tantum tem-
poris impendere, communiter sufficit eos gra-
tuitè monere vt dicta ab alijs discant, & id præ-
mittentes absolui possunt; nisi ignorarent scitu
necessaria necessitate medijs ad iustificationem:
tunc enim in his ante absolutionem rudi mo-
do instruendi sunt, ita vt saltem prout à con-
fessario proponuntur ea credant; et si minùs ex-
actè ea concipiant.

D V B I V M XII.

Vtrum omnes actus fidei sint eiusdem spe-
ciei?

234

Hoc dubium hinc tractandum est ad expli-
candas quasdam difficultates, quæ oriun-
tur ex varijs modis loquendi Scripturæ, ex qui-
bus

Coninck de act. supernat.

bus partim hæretici, partim etiam Catholici
sumperunt occasionem variè fidem vsurpandi
eiusque actus distinguendi. Item quidam putant
fidem, quæ nititur reuelatione priuata, esse di-
uersæ speciei ab ea, quæ nititur reuelatione fa-
cta toti Ecclesiæ. Quos refutaui disp. 9. dub. 6.
conclus. 2. Alij putant assensum fidei practi-
cum distingui specie à speculatiuo. Quos com-
modius refutabo infra disputat. 16. dubio 2.
conclus. 6. vbi probabo omnes assensus fidei
theologicæ, eò quod habeant idem obiectum
formale, esse eiusdem speciei. Hic verò so-
lùm intendo explicare quosdam modos lo-
quendi Scripturæ, in quibus fides videtur variè
accipi.

Primo itaque multi distinguunt fidem, qua-
tenus per eam in Scriptura dicimur credere
Deo, Deum, & in Deum. Vnde D. Thom. 2.
2. quæst. 2. art. 2. docet, nos dici credere Deum,
quatenus credimus eum esse: credere verò
Deo, quatenus aliquid credimus ob ipsius re-
stificationem: & demum credere in Deum,
quatenus voluntas actum fidei refert in Deum
tamquam in finem. Atque ita ait hæc tria con-
uenire eidem actui. Primum, quatenus respec-
cit Deum vt obiectum materiale. Secundum,
quatenus respicit Deum vt obiectum forma-
le. Tertium, quatenus respicit Deum vt fi-
nem in quem voluntas credentis, qua assen-
sus fidei imperatur, tendit. vnde hoc tertium
proprie solum conuenit fidei imperatæ ab a-
ctu caritatis, & quatenus hunc actum inclu-
dit, qui proprie fertur in Deum, vt in finem.
Vnde etiam D. Augustinus, qui huius distin-
ctionis primus meminit, tractatu 29. in Iohan.
ait: Quid est credere in Deum? credendo amare,
credendo in eum ire, & eius membris incorporari.
vnde infert Primò, peccatores posse quidem
credere Deum, & Deo, non tamen in Deum,
quia hi amando non tendunt in Deum: omnes
verò qui credunt in Deum, etiā credere Deum
& Deo. Infert Secundò, nos licitè & res alias
& alijs hominibus credere, in solum tamen
Deum licitè credere: quia hic solus est noster
verus vltimus finis.

D. Thom.

Quomodo
distinguantur
credere
Deum, Deo,
& in Deum.

August.

235

Quæ quidem à parte rei vera sunt, sed
phrasi Scripturæ minùs consona, quæ tria di-
cta pro eodem accipit. Hebræi enim casibus
carent, & quamuis per diuersos articulos di-
uersos casus sæpè exprimant, tamen hos sæpè
etiam confundunt vt vel ex dicendis patebit.
Item verbis intelligendi, videndi, tangen-
di, sæpè solum elegantie causa apponunt lit-
teram 2. quæ significat, in. Sic Psalm. 105. vers.
5. dicitur, Ad videndum in bonitate electorum
tuorum, pro, ad videndum bonitatem. Et 1. Regum
16. vers. 16. vbi Latina habent, Scientem psal-
lere cithara, Hebræa habent מנן בכר pul-
santem in cithara, id est citharam. Item Exo-
di 14. vers. vltim. vbi Latina habent, Et credi-
derunt (scilicet filij Israel) Domino & Moyse
seruo eius, Hebræa habent, ביהוה ובמשה
in Dominum & in Moysen. Hinc Aposto-
lus ad Romanos 4. versu 5. & 5. aperte pro
eodem sumit, credere Deo, & in Deum.

Quomodo
Hebræi de-
scribunt ca-
sum sup-
pleant.

Psalm. 105.

1. Reg. 16.

Aa 2

Et